

Wd. 72.



DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
UNIVERSO JURE FEUDALI,

In Almâ & Perantiquâ Univerſitate
Coloniënſi

PRÆSIDIBUS

*Prænobilibus, Clariffimis, Conſultiſſimisque
Viris ac Dominis*

D. FRANC. GABRIELE HAMM,

J. U. D. Profefſore Publico & Ordinario, ac Venerandæ
Facultatis Juridicæ Dictatore,

NEC NON

D. JOANNE PETRO WIRTZ,

J. U. D. Profefſore Publico & Ordinario, ejuſdémque
Facultatis Fiſco,

PRO

*Summo in utroque Jure Gradu
& Honoribus Doctoralibus ritè obtinendis.*

IN

Publico Juris Auditorio Eruditorum criſi ſubmiſſa.

à

JOANNE MICHÆELE LUCAS

Erclinio,

Anno MDCCLVI. Die IX. Menſis Septembris.

Coloniæ Typis GEREONIS ARNOLDI SCHAUBERG,
Venerandæ utriuſque Juris Facult. Typographi.

RESERVATO IN ALCANTARA

IN ALCANTARA

In ALCANTARA & Ferdinandus Universitatis
Colonien

FRANCIS

FRANCIS GABRIEL HANN

In ALCANTARA & Ferdinandus Universitatis
Colonien

FRANCIS

FRANCIS PETRO WIRTZ

In ALCANTARA & Ferdinandus Universitatis
Colonien

FRANCIS

In ALCANTARA & Ferdinandus Universitatis
Colonien

In ALCANTARA & Ferdinandus Universitatis
Colonien

FRANCIS

In ALCANTARA & Ferdinandus Universitatis
Colonien

FRANCIS MICHAEL LUCAS


FRANCIS

In ALCANTARA & Ferdinandus Universitatis
Colonien

In ALCANTARA & Ferdinandus Universitatis
Colonien

In ALCANTARA & Ferdinandus Universitatis
Colonien





In Nomine Ss. Trinitatis, Amen.

CAPUT PRIMUM

D E

ESSENTIA, NATURA, ACCIDENTIIS, ET
VARIIS FEUDORUM SPECIEBUS.

I.

MISSA feudi etymologiâ, origine, ac juris feudalis varietate, feudum pro *jure rei feudalis sumptum* definitio, quod sit *jus à Domino & vasallo ex illius benevolentia intuitu rei immobilis*, quod sit *jus à plenissime utendæ fruendæ concessæ, constitutum sub conditione mutuae fidelitatis. arg. 2. f. 23. in fin.* cujus substantialia sunt *dominium directum & utile. 2. f. 23. in fin.* res *immobilis*, aut *quasi talis. 2. f. 1. vers. sciendum*, ac denique *fides. 2. f. 3. in fin.*; naturalia verò sunt *successio, perpetuitas, præstatio juramenti fidelitatis, ac servitiorum. 2. f. 23. in fin.* Dein *accidentalia* sunt plurima, intellige: obligationes ad *servitia insolita*, videlicet, *ut vasallus in festivis diebus vadat cum uxore sua (Domini) ad Ecclesiam*, vid. 2. f. 2. §. 2. inter quæ tria insignis est differentia: nam si tollitur unum ex substantialibus, puta, si Dominus, concessio utili dominio, etiam directum in vasallum transferat, feudum non manet, invito licet *Rosenthalio. Cap. 2. Concl. 58.* si verò unum ex naturalibus demitur, ut si fidelitatis juramentum remittatur, feudum equidem manet, sed mutat indolem, id est, sit *improprium Rosenth. Cap. 2. Concl. 54. in fin.* denique si unum ex accidentalibus tollitur, feudum tale manet, quale

A

fuit

fuit, puta, ratione naturæ. Affinia feudorum, utpote minùs nobilia, in nobilis hujus materiæ fedes collocare erubescō.

II. Feudum generalissimâ divisione abit in *proprium & improprium*, proprium (quale in dubio præsumitur) à plerisque dividitur in *novum & antiquum*, illud vasallus, solius Domini consensu interveniente, alienare potest. *1. f. 13. vers. si verò.* non autem hoc *2. f. 39. in pr. & passim.* ubi se ingerit famosa illa quæstio: num feudum, filio, allodiale patris hæreditatem repudianti, cum consensu agnatorum restitutum, novum fiat, vel maneat antiquum? ad quam intrepidè respondeo manere antiquum *arg. 2. f. 45.* obtusa nequitiam timens adversariorum tela, quare labi videtur aliorum sententiis deceptus *Rosenth. Cap. 2. Concl. 17. n. 5. & seq.* malè alios reprehendens; ast aliud esse arbitror in feudo antiquo, post sententiam *privativam* restituto: hoc enim *respectu agnatorum* quidem antiquum manere, *intuitu vasalli* restituti tamen novum fieri sustineo, secus ergò foret, si Dominus ante sententiam vasallo delictum ignosceret, tunc enim & hujus respectu feudum maneret antiquum, *Laud. Auth. Cap. 2. Concl. 18. in pr.* feudum *antiquum* potest reddi *pacto novum 2. f. 49. in fin.* novum pariter potest fieri *pacto antiquum 1. f. 20. & 2. f. 12. in pr.* hoc casu agnatus, succedere volens, non tenetur probare primum acquirentem *Gal. 2. obs. 50. n. 13.* quod in feudo verè antiquo secus est. *idem obs. 149. in pr.* videatur tamen etiam illud, quod desuper innuit *Rosenth. Cap. 2. Concl. 28. n. 8.* secundò proprium aliud est *Ecclesiasticum*, *Saculare* aliud, ubi notandum: regulam, seu vulgarem parœmiam: **Der Krumbstab schleust niemand aus**; non tantùm esse periculofam eo, quod neque textu, neque sanâ nitatur ratione, insupérque à specialibus ad generalia filum consecutionis duci non valeat; verùm etiam Domino directo perniciosam, illique meritò opponi: **Der Krumbstab schleust die Weiber aus**, per ea, quæ docet *Card. de Luca in Theat. verit. & just. tract. de feud. dis. 53. n. 2.* utpote cùm scæminæ Dominum propter textûs imbecillitatem armis ac judicio adjuvare, ejus consilia ob lubricitatem voti stabilire, curiæque arcana reti-

reticere non noverint. *Ernest. Curtius in Tract. de Success. feud. pag. 155. & seq.* ex quibus etiam fluit, quod foeminae, quamvis Amationes, ad feuda admittendae non sint, licet conditionata, censuaria, franca, oblata, exigua, emptitia &c. fuerint. *Laud. Auth. loc. cit. & Rosenth. Cap. 7. Concl. 31. & seq.* tertio proprium aliud est *nobile*, aliud *ignobile*, illud theticè loquendo (suppositâ nobilitandi potestate, & voluntate) accipientem nobilitat, 2. f. 10. *Gail. 1. obs. 30. n. 5. Joan. voet. in comment. ad pand. in digress. de feud. n. 15.* multis quanquam reclamantibus. Denique proprium dividitur in *ligium* & *non ligium*, in hoc alius, in isto nullus in fidei appromissione excipitur, 2. f. 7. & 99. quid autem in duorum vel plurium Dominorum concursu juris sit, interroganti respondebo, interim commendans 2. f. 7. 28. *inf. 52. §. 2. 93. & 99.*

III. Feudum improprium primò est *fœmininum*, idque vel *proprie* tale, puta, quod foemina primùm acquisivit, 2. f. 30. & 50. vel *improprie* tale, quod per pactum investituræ ad foeminas transit, 1. f. 1. §. 3. & 8. §. 2. illud sine pacto speciali, deficientibus tamen masculis, ad foeminas pertinet, 2. f. 30. *in pr.* hoc ex pacto dijudicandum est: vel enim foeminae unà cum masculis sunt vocatae, & sic feudum erit *promiscuum*, vel masculi & foeminae simpliciter vocati sunt, & *successorium* dicetur. Improprium ab ita in *pignoratitium*, 3^{to} in *francum*, 4^{to} in *injuratum* &c. deficit enim in his & similibus pars naturæ. Observa hic regulam: leges & statuta, de feudis simpliciter loquentia, quoque de impropriis sunt intelligenda, nisi sequatur inconveniens aut absurdus intellectus. cum multis aliis reclamat *Rosenth. C. 2. C. 83.* sed tamen in *Glossa. f. in fin. ibid.* se recolligit dicendo, se judicare, difficile & periculolum esse, hæc in re doctrinam universalem statuere.

CAPUT SECUNDUM

DE

FEUDIS RATIONE TRANSMISSIONIS IMPROPRIIS, SIVE HÆREDITARIIS.

I. Feudum ratione transmissionis improprium, sive hæreditarium est, quod à communi regulâ, *masculos eosque descendentes ad successionem vocante*, per pactum adjectum recedit. Unde feudum pro *se & hæredibus*, aut *pro se* simpliciter concessum, in meis principiis non est improprium sive hæreditarium, verùm duntaxat *ex providentiâ & dispositione juris feudalis*. Unde ulterius feudum, pro *se filiis & filiabus* datum, ratione transmissionis est improprium, ut sit *ex pacto & providentiâ majorum &* priori oppositum.

II. Feudi hæreditarii quinque sunt gradus juxta quintuplicis generis pacta, quibus feudum secundum *magis & minus* de verâ qualitate hæreditariâ potest participare. primus feudi hæreditarii gradus imprimitur feudo per pactum de *successione civili masculorum, non descendantium*, ut sit *l. f. 14. §. 2.* secundus per pactum de *successione fœminarum subsidiariâ*, ut *l. f. 8. §. 2.* tertius de *illarum successione simultaneâ*, ut *l. f. 104. §. 1.* quartus de feudo *sine speciali Domini consensu transferendo per actum mortis causâ*, ut *l. f. 48.* quintus de eo *alienando inter vivos sine Domini consensu*, ut *l. f. 48.* non est admittendum feudum hæreditarium, ut species distincta, id est, quod neque sit *ex pacto & providentiâ Domini*, neque *ex juris provisione* tale: nunquid enim feudum, *pro te, filiis, & filiabus* datum, *ex pacto Domini & hæreditarium* est? nunquid concessum *tibi, filiis, & filiabus hæredibus, ex provisione juris & hæreditarium* est? cave tamen, ne feudum *ex pacto & providentiâ majorum*, licet hæreditarium sit, partem hæreditatis allodialis dixeris; e contra, feudum *ex juris dispositione*, sive hæreditarium fuerit, sive non, hæreditatis allodialis partem rectè dices, videlicet in quæstione: *quomodo*

modò succedatur? puta, quod filius defuncti ad illud non admittatur, hæreditate patris allodiali repudiatâ, de quo tantùm intelligendus est textus 2. f. 45. quod præ cæteris mihi præplacens verfatissimus Rosenthal. Cap. 2. Concl. 33. n. 37. & seq. & Cap. 7. Concl. 21. latè demonstrat, non tamen in omnibus probandus, feudum ex pacto Domini, & quoque illud, ex legis provisione dictum, potest esse proprium, aut improprium: sic enim feudum pro hæredibus, aut pro descendentiis concessum proprium est, licet illud ex dispositione juris, hoc ex pacto Domini sit; sic dein feudum hæredibus quibuscunque, aut descendentiis Ascendentibus, & collateralibus datum improprium est; & tamen hoc ex pacto Domini, illud ex legis dispositione. ex eo, quod feudum aliquod sit hæreditarium, non valet sequela, quod sit pars hæreditatis, ideoque filius illud, repudiato patris allodio, acceptare non possit. feudum, concessum quâ hæreditarium, est dubio procul hæreditarium; feudum, pro hæredibus datum, hæreditarium non est.

III. Feuda concessa sub his pactis: pro te & hæredibus quibuscunque, vel 2. zum rechten Erblehn, vel 3. pro te, descendentiis, Ascendentibus & Collateralibus, vel 4. pro te filiis & filiabus, vel 5. pro te filiis & filiabus, hæredibusque, vel 6. pro te masculis & feminis descendentiis æqualiter, vel 7. pro te & hæredibus utriusque sexûs simultaneè venturis, vel 8. pro te cum facultate alienandi mortis causâ, vel 9. pro te & descendentiis cum facultate testandi, vel 10. pro te & filiis tuis cum potestate alienandi inter vivos, vel 11. pro te cum liberâ facultate inter vivos alienandi, vel 12. pro te cum facultate alienandi sine speciali Domini consensu, his, inquam, sub pactis concessa feuda sunt verè; non tamen merè hæreditaria, & partim ex pacto & providentiâ Domini, partim ex dispositione juris talia, ut Ecce feuda sub 1mâ, 2dâ, 3tâ in primo, sub 4tâ & 5tâ in secundo, sub 6tâ & 7imâ in tertio, sub 8vâ & 9nâ in quarto, sub 10mâ & 11mâ in quinto, sub 12mâ formulâ data in quarto & quinto gradu tantùm (longobardicè loquor) hæreditaria sunt. ut Ecce 2dâ, feuda, sub 1mâ, 2dâ, 5tâ, 7imâ, 8vâ, 9nâ, 11mâ & 12mâ

formulâ concessa, sunt *ex juris dispositione* talia; ast sub cæteris formulis data *ex pacto* & *providentia majorum* sunt.

IV. Adhæc pro meliori intellectu eorum, quæ jam dixi, observandum venit, feudum in *quarto* gradu hæreditarium saltem implicite & per necessariam consequentiam semper esse *ex provisione juris* tale; in *quinto* autem non item, ratio disparitatis quidem subtilis est, sed tamen adæquata, scil. hæc, quod in isto gradu feudum sit datum cum *facultate testandi*: ergò *pro hæredibus*; secus in hoc. feudum, unum vel alterum hæreditariæ qualitatis gradum includens (cujus exempla dedi) mihi *secundum quid*; at omnes gradus (secundo vel tertio excepto) involvens *merè* & *simpliciter* hæreditarium est, ut si datum *tibi, descendantibus, Ascendentibus, collateralibus* & *fæminis cum facultate alienandi*, vel breviter: *tibi tanquam allodium* concessum sit. dixi: *secundo vel tertio excepto*: nam unum idemque feudum omnes omnino involvere gradus, Chimæricum est. feuda, tributa *tibi: tibi & hæredituo: tibi & successoribus tuis, tibi & tuis: dir und deinen Erben: dir und deinen Leib- & Erben* &c. nullam veram hæreditariam qualitatem continent saltem quoad quæstionem: *quis succedat?* verùm solummodò *ex providentia juris*, neutiquam *ex pacto majorum* talia, multò minùs *mixta* dicuntur. quale, an, & quo in gradu hæreditarium sit feudum, mediante præscriptione acquisitum, petenti in arenâ dicere non recusabo.

CAPUT TERTIUM

D E

REBUS, PERSONIS, NUPTIIS ET TUTELA FEUDALIBUS.

I. IN feudum dari possunt res immobiles, aut iis annumeratæ 2. f. 1. *vers. sciendum.* commercio non exemptæ, Arg. 1. f. 6. *in pr.* nec alienari prohibitæ, 2. f. 3. S. *fin. in pr.* Joan. voet. *in digress.* de

de feud. n. 23. in med., & omnes passim. sed quid? si res aliena aut alteri obligata in feudum data est, an & quando evictio præstanda venit? Respondeo, cum infeudatio non sit mera gratia aut donatio, hinc evictionem esse præstandam, nemo, nisi parùm in jure versatus, non affirmaverit; quando autem illa præstanda sit, illud distinguendum: utrum *scienti*, an *ignoranti* investitura facta sit; qui enim alienæ rei sciens investituram accepit, ille, nisi pacto speciali sibi de evictionis periculo prospexerit, de evictione agere non poterit; ignorans verò rectè egerit, ut investiens investitum alio ejusdem bonitatis & quantitatis feudo investiat, vel nummos in feudum dandos numeret; sed in eo nulla est differentia, qui investituram fecit, utrum sciverit, an ignoraverit; non enim ullo modo decipiendus est vasallus, ut latius ait textus 2. f. 8. in pr. item 2. f. 25. conferatur *Gothofr. ad cit. textus*. quæstio hic etiam proponi solet: num pecunia in feudum dari possit? ad quam, non obstante 2. f. 25., respondeo, illam aliamve rem fungibilem nequidem sub æstimatione vel cautione separatim & per se in feudum verum concedi posse, *Arg. 2. f. 1. vers. sciendum*, adeò ut nec usus aut consuetudo, nec ipsa potestas summa contrarium valeant inducere, cum salvo manenti negotio ejus substantialia per rerum naturam subtrahi nequeant.

II. Concedit beneficium, qui liberam habet rei suæ immobilis alienandæ facultatem, 2. f. 3. in pr. licet sit Clericus, 1. f. 1. in pr. non relevante textu 1. f. 6. licet 2dò sit foemina, 2. f. 3. in fin. 2. f. 91. imò 3tò licet sit rusticellus, *Arg. 2. f. 3. in pr.* quid de Prælati sit dicendum, interroganti in confictu explanabo, quid autem de Imperatoribus, Ducibus, Marchionibus &c. ad jus publicum remitto.

III. Feudi accipiendi est capax, qui non prohibetur; puto autem hanc capacitatem necessariò non esse æstimandam ex ordinariis juris feudalis Regulis, sed potius ex voluntate Domini, hanc vel illam personam pro vasallo vel vasalla agnoscere volentis, nisi tamen lex publica obstet, hinc foeminae, minores, pupilli, muti, surdi,

surdi, claudi, hermaphroditi, vel aliter imperfecti capaces sunt, 2. f. 36. in pr. Joan. voet. in com. ad ff. in digress. de feud. n. 21. hæretici, excommunicatione majori aut banno Imperiali irretiti, nec non Læfæ majestatis aut alterius gravis criminis rei capaces non sunt, Rosenth. C. 3. C. 23. Curt. in Tract. de success. feud. pag. 174.

IV. Illustres reverà illustris sunt conditionis, cum possint triplicis generis nuptias celebrare; quid autem illæ sint, quæ ratio inducendi, quis finis & effectus, in conspectu dabo; ne tamen nihil dixisse videar, observo imò, præter præexistentiam Illustrium liberorum aut agnatorum esse adhuc aliam nuptias ad *morganaticam* contrahendi rationabilem causam, scilicet probabilem liberorum ex Illustri supernascendorum spem, ex quo infertur, quod Illustris, liberos vel agnatos non habens (decrepitum excipias) cum foeminâ inferioris conditionis possit pactitium illud matrimonium inire, hæc intentione, ut, si illa decesserit, Illustrem thori fociam sibi jungere, atque ita familiæ splendorem conservare valeat, Gothofr. in not. ad 2. f. 26. vers. filii nati. lit. A. non tamen in eo probandus, quod versiculum hunc cum 2. f. 29. confundat. Ecquid, inquires, cur prius Illustris ille suæ conditionis uxorem non ducebat, & sic familiam conservasset? Rspdeò: non omnia scire fas est. 2dò, liberos, ex impari hoc matrimonio procreatos, quamvis legitimos, non amplius capere de bonis paternis, quam pater dixerit tempore sponsalium, vg. decem libras auri vel argenti, & hinc in beneficiis minimè succedere, ut latius 2. f. 29. 3tò, nuptias ad textum 2. f. 26. vers. filii nati &c. cum foemina æqualis conditionis contrahi, adeoque non posse cum prima uxore celebrari, urpote cum sic nulla sit paciscendi ratio, sicuti patet inveni. 4tò, filios, ex hoc pactitio matrimonio natos, in feudo *ex providentia juris* non succedere (quamvis hîc multi reclament) textus enim ipsemet negativam resolvit in verbis: *in feudum succedunt*, ubi T̄ non suppleri debet, ut omnes testantur, vid. Gothofr. ad dict. text. lit. b. ne alias verba illa: *ex usu tamen admittitur*, repugnan-

nantiam sonent. 5^{to}, filios ex hoc conditionato matrimonio susci-
tatos præferri agnatis, in allodialibus cum liberis prioris matrimo-
nii *regulariter* succedere, & quoque ad feuda *ex pacto majorum* ad-
mitti; at verò liberos, ex matrimonio ad morganaticam susceptos,
agnatis quoad bona feudalia saltem, & liberis illustribus etiam quo-
ad allodialia, sive dignitatem habeant annexam, sive non, sine du-
bio postponi, sicuti eruo ex 2. f. 29. Per quæ inter hæc duo ma-
trimonia insignis patet differentia.

V. Nuptiis contractis, sequitur quandoque immatura, iisque
invisa mors, & parentum consilio atque auxilio teneræ ætatis libe-
ros reddit destitutos, hinc eis de tutoribus vel curatoribus feuda-
libus provideri, necesse est, ego hanc adopto regulam: quicun-
que sunt tutores vel curatores in allodialibus, sunt iis etiam admi-
nistratores in feudalibus, nisi feudum esset Regale majus; quid au-
tem in hoc juris sit, consule *Auream Bullam tit. 7. & Bull. Sigismun-
di Imp. §. 7.*

CAPUT QUARTUM

DE

MODIS ACQUIRENDI JUS AD FEU- DUM, SPECIATIM DE PROMISSIO- NE, EXPECTATIVA, OBLATIONE ET SUCCESSIONE.

I. Quidem hîc agunt de feudorum constitutione; sed priùs de
modis acquirendi *jus ad feudum* agendum arbitror, cùm
jus ad rem regulariter *jus in re* præcedere, illudque procreare so-
leat, quare de illis hîc videndum, ad quos refero promissionem,
expectativam, oblationem, & successionem, de singulis ordine.
Feudum novum non solum actu inter vivos promitti, sed & mor-
tis causâ relinqui potest, ROSENTH. Cap. 6, C. 5. Quo tamen

B

casu

casu à morte relinquentis non statim in me transit relictæ Domini-
um, uti aliis in rebus, purè, determinatè &c. legatis, hinc re-
lictario non est danda actio rei vindicatoria, sed actio ex Testa-
mento, ad id, ut de tali re, sibi jure feudi relictâ, investiat,ur,
atque ita utile Dominium nanciscatur, *JOAN. VOET. in digress.
de feud. n. 30.* Hoc etiam sciendum est, feudi promissionem sub
hoc pacto: *ut, si statuto tempore pecunia soluta non fuerit, res sit
creditoris, & is eam pro feudo habeat,* neutiqum valere, feudum
enim non sub prætextu pecuniæ, sed amore & honore Domini
acquirendum est, ut habetur. 1. f. 27. in pr. & 2. f. 51. §. 6. Ra-
tio fortior est, quia illud pactum jure est reprobatum, *GOTHO-
FR. in not. ad illum Text. Lit. L. utpote merè usurarium, Cap. 7.
x. de pignorib. GONZALEZ. Ibid. n. 7. & sqq.*

II. De secundo acquirendi modo concludo: habens expectati-
vâ (*ratione objecti*) *Generalem priorem* excluditur per eum, qui
habet *specialem posteriorem primam*, non autem per illum, qui
habet *specialem posteriorem secundam*, *CARPZ. p. 2. const. 45. def.
4. CURT. in not. ad STRYCK. pag. 74. in pr.* Cùm in toto jure
generi per speciem derogetur, & illud potissimum habeatur, quod
ad speciem directum est, *PAPINIANUS in Leg. 80. ff. de reg. Jur.*
Nisi fortè inconueniens inde redundaret, DDres passim. Varia
hïc quidem, sed parvi ponderis argumenta obstant, quidam, ve-
ritatem inuenisse sibi visî, tanquam clavâ herculeâ hoc utuntur ar-
gumento: habens hypothecam generalem priorem non excludi-
tur per eum, qui habet specialem posteriorem primam: ergo à
pari; verùm hæc clava, mi hercule, nequaquam me terret. Con-
cludo 2dò: donatus expectativâ (*ratione modi*) generali ad bene-
ficium venit; quocunque modo illud fuerit apertum; at verò do-
natus speciali, sub hâc scilicet conditione: *si feudum ad me redie-
rit ob feloniam*, de alia speciali aperturâ non habet gaudere, quod
& velle mihi videtur. *ROSENTH. C. 6. C. 19.* Ratio, ne detur
occafio, verba contractûs ad modos, à contrahentibus non voli-
tos, extendendi. Concludo 3tid: expectativa ex anxiiis Roma-
norum

norum principiis non est improbanda tanquam bonis moribus contraria, 2. f. 26. §. 2. *in pr.* GAIL. 2. obs. 155. *in pr.* Fateor equidem, legum Romanarum non vilem esse auctoritatem, sed tamen non aded vires suas extendunt, ut usum vincant aut mores, 2. f. 1. *in pr.*

III. De tertio modo breviter concludo: feudum oblatum (cujus originem tristibus magni interregni & sequioribus temporibus tanquam fecundæ plurium lugendorum matri plerique tribuunt) cum in dubio veram feudi naturam induat, hinc neque *francum*, neque *promiscuum*, neque *successorium*, neque *in ullo gradu hæreditarium*, ut & velle videtur, ROSENTH. C. 6. C. 68. n. 27. & seqq. cum *Glossis Ibidem*, verum solummodò ex *providentiâ legis esse*, in dubio præsumitur, plurimis licet dissentientibus.

IV. De quarto jus ad feudum acquirendi (potiùs conservandi) modo observandum, successionem aliam esse *regularem*, aliam *irregularem* seu *specialem*, de illâ dico *imò*: feuda, antiquissimo tempore pro lubitu Dominorum auferibilia, postmodum per annum firmiter retenta, deinde ad vitam fidelis concessa, tandem ad ejus filios, denique ad ex filiis nepotes porrecta, 1. f. 1. §. 1. *in pr.* Ultimo ad omnes masculos, à primo acquirente descendentes, in infinitum fuerunt devoluta, 1. f. 1. §. 4. *in fin.* 2. f. 50. ROSENTH. C. 7. C. 15. *in pr.* Feudo licet nondum agnito, Arg. 2. f. 11. *in pr.* Nisi hi descendentes nati forent ex *sceminâ*, 1. f. 1. §. 3. & 2. f. 11. Infectâ namque radice ramulos quoque esse infectos, necessarium est; aliud ergò foret, si feudum in gradu secundo vel tertio (tunc enim ad *sceminas* pertineret) aut in primo quarto, vel quinto (sic enim ad non descendentes transire possët) hæreditarium foret, de quibus habe. 1. f. 1. §. 3. & 1. f. 14. §. 2. & 2. f. 11. *in med.* & 2. f. 48. & 2. f. 104. §. 1. Dixi: *feudo licet nondum agnito*; sed unde hoc: cum tamen legatum non agnitum, hæreditas non adita ad hæredes regulariter non transmittatur? Respondeo, hoc in materia substrata aliud esse propter investituras, ex quibus jus radicale omnibus vocatis quæritur, quod iis per non factam feudi

agnitionem non potest auferri; in allodialibus autem nullum pactum, investitura nulla intercedit. Ex quibus latius fluit, quod filii & filia tam sui, quam emancipati, tam nati aut ex utero exfecti, quam nascituri, ROSENTH. C. 7. C. 16. sive collaterales, sive descendentes fuerint, vi investituræ ad feuda admittantur, licet defuncti eorum parentes illa non agnoverint. *Laud. Auth. C. 7. C. 17. n. 20.* Sed an etiam feudum, à defuncto patre non agnitum, ad filios, vivo illius possessore nondum conceptos, perveniat, quaestio est, quam multi negativè resolvunt, ex eo, quod jus aliis quaesitum per conceptionem, possessoris mortis supervenientem, auferri non possit; at hæc negativa ejusque ratio si vera sunt, verum quoque est, quod creatura possit esse sui ipsius causa; quod autem cum falsissimum, hinc affirmativæ subscribo. Dico 2dò: per rescriptum principis aut alio civili modo legitimati ad successionem feudi nec soli, nec cum aliis admittuntur, 2. f. 26. *vers. naturales.* At verò legitimati per subsequens matrimonium ad feuda, imò jus primogenituræ veniunt, licet etiam fratres legitimi existerent, propter *Cap. tanta. 6. x. qui filii sint legitimi. Card. de Lucd in Th. v. & j. tr. de feud. dis. 15. in pr.* Nisi hi (quoad jus primogenituræ) essent ex matrimonio intermedio, GAIL. 2. obs. 141. n. 3. ROSENTH. C. 7. C. 18. n. 9. contra JOAN. VOËT. *in digres. de feud. n. 66.* Dico 3tò: vi lineæ in feudo paterno frater germanus, aut consanguineus, imò horum filii uterino, 2. f. 11. GAIL. 2. obs. 151. Frater ejusque descendentes in infinitum patruo præferuntur, 2. f. 11. *in pr. & 2. f. 50.* Dico 4tò: descendentes ex ultimo defuncto vasallo feudum *ex pacto & providentia* capiunt, hæreditate allodiali repudiatâ, licet etiam illud quoad *primum, secundum, tertium, aut quintum* gradum sit hæreditarium, secus est in feudo *ex provisione juris*, quo demùm gradu hæreditarium fuerit, 2. f. 45. & 51. §. 4. At verò in agnatis regulariter non est distinguendum, cum plerumque ultimi possessoris allodium repudiare, & nihilominus feudum acceptare valeant. *cit. textib. & quoad rem idem velle mihi videntur. GAIL. lib. 2. obs. 154. & ROSENTH.*

SENTH. C. 2. C. 33. n. 37. & sqq. & Cap. 7. C. 20. & 21. Cate-
ra de successione regulari specialia passim occurrunt, hinc proce-
do ad irregularem.

V. Successio *irregularis* seu *specialis* tres habet species, prima
est *Testamentaria*, secunda *Ascendentium*, tertia *foeminarum*. quo-
ad priorem observandum, vasallum feudum *novum* (qualecunque
fuerit) imò etiã *antiquum*, cum solius Domini consensu per
actum ultimæ voluntatis in alterum transferre posse, 1. f. 13. v. *si*
verò. & argumento eorum, quæ habet. ROSENTH. C. 6. C. 69.
n. 27. & sqq. nec non feudi, *pro se* & *cui dedit* concessi, cui-
cunque, non tamen foeminæ, etiã absque senioris voluntate re-
linquendi potestatem habere, 2. f. 48. Quoad alteram notandum
ascendentes succedere in feudo, contemplatione sui descendenti-
bus collato. JOAN. VOET. in *digres. de feud. n. 57. in med.* Item
in feudo, à se in favorem descendentium, ut investiantur, refu-
tato, Arg. 2. f. 49. & 2. f. 26. in *fin.* reclamatione laud. VOET. n. 57.
cit. in utramque conclusionem descendit. ROSENTH. C. 7. C. 14.
n. 8. & 19. Quoad tertiam sequentes formantur conclusiones, pri-
ma: feudum, foeminis *æquè*, ac masculis concessum, *successorium*;
at masculis & foeminis *æqualiter*, vel *pariter* &c. datum, *promis-
cium est*, nam meo iudicio particula: *æquè*, conjuncta particula:
ac, tantum fungitur connexionis officio, & è contra vocabula: *pa-
riter*, *æqualiter*, *simul*, *sicut* &c. omnimodam servari volunt æ-
qualitatem. 2da: foeminæ in beneficiis *successoriis* veniunt demum
post masculos, licet illæ ex istâ lineâ, in quâ feudum jam existit,
& hi aliâ ex lineâ descenderent, 1. f. 6. §. 1. & 2. f. 17. *vers. non*
enim. 3tia: si fortè ob defectum masculorum feudum semel aut
aliquoties ad foeminas transitum fecerit, & nunc contingeret mas-
culum existere, is foeminis, defunctæ vasallæ licet proximioribus,
præferretur, ROSENTH. C. 7. C. 40. n. 10. Nam natura feudi
per transitum extincta non fuit, sed interim dormivit. 4ta: foemi-
na, per masculum semel exclusa, in perpetuum exclusa non ma-
net per 2. f. 17. *vers. non enim* &c. & Arg. 1. f. 8. §. 2. & 2. f. 30.

CARPZ. *part. 3. const. 28. def. 15.* JOAN. VOET. *in digres. de feud. n. 61.* CURT. *in tract. de success. feud. pag. 162.* VULTEIOS, STRUVIOS, HARTMANNOS, STRYCKIOS, & alios allegans. Dissentit GAIL. 2. *obs. 148. n. 1. ad 4.* reclamant KLOCK. SCHNEID. FACHIN. SCHRADER. Et alii, tam æquitatis quàm sceminarum ofores. Illud autem reverà nullatenus est sequendum, quod ROSENTH. C. 7. C. 44. n. 22. & *sqq.* Rudioribus (versati enim illum vilipendent) inculcare intendit, scilicet etiam in feudo propriè *fæminino* foeminas, semel exclusas, perpetuò manere exclusas: nam vir laudatus ne ullo quidem textûs argumento, aut aliquali rationis umbrâ credibile, quid dicam probabile id ipsum facere poterit, nec quidquam facit, quod quasdam pro se adducat glossas: non enim autoritatibus, sed rationibus pugnandum, *5ta*: filia, renuncians in favorem masculorum, masculis deficientibus, per filiam ab iis relictam non removetur, absurdum enim esset, filiam ex interpretatione juris hoc casu esse filium, cessante causâ durare effectum, & renuntiationem de personâ ad personam, à renuntiante non volitam, extendere, conferatur GAIL. 2. *obs. 148. n. 8.* Cum ibi relatis. *6ta*: foeminae descendentes in feudo novo, jure *feudi antiqui* pro me & hæredibus utriusque sexûs quæsito, descendentibus masculis non existentibus, præagnatis meis clausulâ (*jure feudi antiqui*) non obstante sunt admitteudæ: unusquisque enim sibi & descendentibus suis priùs, quàm agnatis prospexisse videtur, 2. f. 18. ROSENTH. C. 2. C. 15. *in fin. Gothofr. ad dict. text. lit. A. 7tima*: foemina, ad feudum admitta, per supernatum postea masculum non removetur; sed jus, legitime quæsitum, retinet, CURT. *de succes. feud. pag. 161.* adeò, ut, si ista etiam hæredes masculos relinquat, jus hoc in eos, illo tanquam remotiore excluso, transmittat, ROSENTH. C. 7. C. 41. n. 27. Et prior hæc sententia etiam vera est, licet foemina eo tempore, quo masculus concipitur, nondum investita, imò nequidem in possessione fuerit, cùm feudum post mortem possessoris statim ipso jure in proximum transmittatur ex mente. *laud. Auth.*

Auth. loc. cit. n. 30. & seq. & ibid. gloss. denique in feudis, five ex pacto, five usu *simultaneis*, foeminae, & ex iis nati masculino, & ex eo genitis, gradu remotioribus, praeruntur; at cum iis, in gradu aequali constitutis, promiscue ad successionem veniunt, 2. f. 104. in pr. & §. 1. *Joan. voet. in digress. de feud. n. 61. & passim omnes.*

VI. De jure perquam dilectae patriae meae haec observo: successionem regulariter esse simultaneam, si exceperis, *dat der alste Bræder het Stamm-Huys in Syne graven, heggen ende tuynen, ende wat darinne gelegen, ende nagevas is, met het geskut, Krygsh-rustinge ende fachte voor uyt sal hebben, sonder eenige erstadungh.* vide latius *STAT. GELDR. part. 3. tit. 10. art. 17. & seq.* dicitur: *het Stamm-Huys*: nam si plures adsunt sedes, secundogenitus, unâ à primogenito electâ, alteram sibi eligere valet, ast cum onere hujus aestimationem suis cohæredibus pro ratâ praestandi. idem de tertio- & ultragenito judicium ferendum est. *loc. cit. art. 19.* haec autem de descendantibus intelligas velim: nam in successione collateralis primo-inter & ultragenitum discrimen hujus praerentiae nullum obtinet. *laud. stat. loc. cit. art. 20.*

VII. De jure Archidioecesis Colonienfis notandum, feuda, *wor-
rinn der tenor investituræ mit klaren Worten auff Mann-Lehn
gerichtet*, non ad foeminas, nequidem masculis deficientibus, descendunt, sed SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI & successoribus aperiuntur. *ORD. COLON. tit. 7. §. 1.* aliter ratio- cinandum de iis, quibus qualitas masculinitatis à serenissimo Prin- cipe FERDINANDO de novo est impressâ, videatur *cit. §. 1.* secundò: *Wo die investitur von beyderley Geschlecht Manns- und Weibs-Personen austrücklich Meldung thut*, foeminae ad successionem feudi, per masculum tamen deserviendi, sunt ad- mittendae. *ibid. §. 2.* sed quando? num post masculos? Respondeo: quinimò: Sphus enim hic disertè non definit, hinc juri communi
feu-

feudali est adaptandus, in quo neminem puto dissentire. tertio : in feudis, *so informiter*, nemblich ohne Meldung männlichen oder weiblichen Geschlechts, verliehen worden, foeminae una cum masculis, seu promiscue succedunt, *cit. tit. §. 4.* quin tamen nobili prerogativae (primo- & ultra generis *cit. ord. tit. 6. §. 1. 12. & 13.* concessae) ullum inferatur praerudicium, *supra cit. §. 4.*

VIII. De jure Ducatum Juliae & Montium liberi primi thori sicut in allodiis, sic pariter in feudis stemmaticis, sive jam devolutis, sive adhuc devolvendis, liberis secundi vel ulterioris Matrimonii exclusis, succedunt, ut volunt *ROSENTHAL. C. 7. C. 38. n. 20.* *FRIDER. à SANDE de feud. geld. tract. 1. tit. 3. C. 1. §. 1. n. 4.* *TUMMERM. 1. par. n. 66.* *VOEZ. obs. feud. 15. n. 13. & 19.* ampliatur, licet ex Matrimonio primo filiae, & ex secundo filii existerent, *laudati Auth. loc. cit.* denique sciendum est, quod in his Ducatibus omne feudum sit individuum, & hinc absque licentia Domini directi nullum partiri liceat, quare si plures ejusdem vasalli haeredes in linea descendentali vel collateralis extiterint, uni cohæredum feudum assignatur, praestita aliis aestimatione conformiter *Edicto de anno 1541. 14ta Januarii promulgato*, prout testatur *VOEZ obs. feud. 12.*

IX. Nunc videre restat, quomodo seniori in Dominio directo succedatur? Rspdeo breviter: si Dominus feudum, quod ab alio habebat, alteri in subfeudum dedit, juxta normam juris feudalis; si verò allodium in beneficium concessit, juxta praescripta juris allodialis successio regulanda venit, quod latius deducit *ROSENTH. C. 7. C. 55. à n. 3. ad fin.* alios refutans, quorum te brevitate amore remitto. hæc sunt, quæ de modis acquirendi *jus ad feudum* adduco, subjungo nunc.

CAPUT

CAPUT QUINTUM

DE

MODIS ACQUIRENDI JUS IN FEUDO ; SCILICET INVESTITURA ET PRÆSCRIP- TIONE, UBI INCIDENTER DE ILLIUS INTERPRETATIONE.

I. Jus in feudo Novo acquiritur aut *expressà voluntate* nimirum per investituram , 1. f. 25. & 2. f. 1. *in fin.* aut *tacita*, puta per præscriptionem, 2. f. 33. & 26. §. 4. Investitura autem vel sumitur pro *contractu feudali*, ut fit 1. f. 20. & 2. f. 7. §. 1. paritque necessitatem feudi possessionem tradendi, 2. f. 26. *vers. si facta &c.* Et ita accepta hujus loci non est. Vel sumitur pro *ipsa actuali feudi translatione*, ut 2. f. 2. & 8. *vers. rei autem &c.* operaturque præter reciprocam hinc inde fidelitatis obligationem 2. f. 6. pleni Dominiï scissionem 2. f. 8. §. 2. *in pr.* & 2. f. 23. *in fin.* ita, ut penes Seniores Dominium *superius* maneat, ad militem verò transeat *inferius* atque possessio, *cit. textib.* juraque inde promanantia 2. f. 8. *vers. rei autem.* sive investitura perficiatur *proprie*, 2. f. 2. *in pr.* GOTHOF. *ibid. lit. S.* sive *improprie* seu *fictè*, arg. 2. f. 88. id est, vel *per signa*, 2. f. 2. vel *per verba*, 2. f. 33. *in pr.* modò duobus his casibus *solemniter* fiat, *cit. textib.* Guil. lib. 2. *obs.* 152. n. 14. JOAN. voet. *in digress. de feud. n.* 34. & *seqq.* secùs ergò si hæc *impropria* minus *solemniter* expediatur, 1. f. 25. *in pr. laud. voet. loc. cit.* quibus textibus ita ritè intellectis, nullam video in iis latere difficultatem, quare non satis mirari possum, tot diversas circa horum textuum explicationem esse sententias, quot diversi fuère Authores.

II. Est & alia investituræ species, quæ dicitur *simultanea*, & de jure longobardico *quintuplici* pacto perficiebatur, quod rogatus

C

illu-

illustrabo. hæc de jure germanico aliam induit naturam, & , sicut coelum à terrâ , à longobardicâ distat : nam germanica operatur *jus in re peculiare quoddam* , à Dominio utili nec non à juris in re civilis speciebus distinctum ; longobardica non item , unde alii multi fluunt diversi effectus, qui patent intuenti.

III. Hæc sunt potiora , quæ de investiturâ , *jus in re* producen-
te , dixi , nunc , quænam plurium investiturarum alteri præfe-
renda sit , edisseram. Itaque ; ut indoles feudi ritè cognoscatur,
ad investituræ tenorem , in quem veluti scopum omnis feudi sta-
tus dirigitur , reflexione summâ collimandum est , *Gail. 2. obs. 50. n. 15.* utpote cùm omni juri & naturæ feudali derogare possit , ut
vides *1. f. 14. in fm. & GOTHOF. ibid. lit. f.* ante omnia autem
antiquior investitura præ oculis est habenda *CARD. de LUCA. dis. 53. n. 7.* & surrogatum secundum hujus qualitates accipien-
dum , itâ , ut sit antiquioris investituræ confirmatio potiùs , quàm
nova investitura , cùm primus acquirens vigore primæ investitu-
ræ deferat feudum ad posteros , sicut fons aquam ad rivulos , ut
ait *laud. Gail. 2. obs. 49. n. 3.* verùm cùm & ipsam investituram an-
tiquiorem sæpè sapiùs dubiam esse contingat , ideóque justâ inter-
pretatione opus sit , opere pretium esse duco , si quasdam investi-
turæ clausulas obscuras , dubias , aut æquivocas in medium pro-
feram , eisque congruam sanæ rationi , & legibus feudalibus con-
formem , interpretationem tribuam , sic *imò* , feudum : *pro te & hæredibus tuis concessum* , non prodest fratribus , nec fororibus
tuis , nec filiabus ex te descendentes , *1. f. 13. vers. et si clientulus. GOTHOF. ibid. lit. R. 2dò* , feudum Longobardis semper est
masculinum , licet *tibi & hæredibus quibuscunque* concessum fuisset ,
arg. 2. f. 34. §. 2. in med. 3tò , feudum : *pro te , filiis , & filiabus* ,
respuit & filiarum filios & filias , *arg. 1. f. 8. §. 2. Cart. de success. feud. pag. 160.* neutiquam verò feudum : *pro te , masculis & fœ-
minis* , ut clarè docet *2. f. 51. §. 3.* neque primitus datum *filiis & filiabus* , *2. f. 50. in pr. 4tò* , verba : *liberi , descendentes , posteri , hæredes , successores , sui &c.* fœminas non complectuntur , *2. f.*

34. §. 2. *vers. profectò*. ROSENTH. C. 7. C. 31. 5^{to}: feudum, concessum pro te & hæredibus tantum masculis, ita, ut masculi fœminis præferantur, fœmineum sexum ne quidem post masculos admittit. 6^{to}: tenor: do tibi & tuis filiis meum fundum in feudum hæc lege, ut tu hæredesque tui mihi hæredibusque meis semper fideles sitis. denotat feudum ex pacto Domini tale, neutiquam feudum ex legis provisione. ratio utriusque jam positæ resolutionis est, quod dubium & obscurum semper debeamus interpretari per evidens & clarum, & quod clausulæ executivæ ac incidentes non possint principalem destruere dispositionem, cujus sententiæ videtur etiam esse ROSENTH. C. 2. C. 39. 7^{imo}: feudum, titio in tertiam generationem concessum, non modò venit ad ejus nepotem, ut quidam volunt; sed & ad pronepotem, laud. Auth. C. 7. C. 23. acqui-rens enim connumerari nequit, cum nemo semetipsum generet. 8^{vo}: in feudo propriè fœminino T^o: hæres feudalis quoque fœminam continet, & T^o filius complectitur filiam, sæpè laud. ROSENTH. C. 7. C. 35. & seq. 9^{no}: in feudo, licet à fœminâ masculis datò, vox: filia, complectitur filium; non verò vox: filius, filiam, ibid. concl. 38. n. 11. & seq. non obstat, quod id genus hominum generi suo vel maximè favere soleat: nam Respondeo, me arbitrari, quod magis generi masculino faveat. Respondeo 2^{do}, fœminas esse parcissimas & tenacissimas in liberalitatibus, quod vel ex eo liquet, quod senatus-Consultum intercedentibus & non donantibus subvenerit. verba hæc non sunt mea, sed ROSENTH. loc. cit. ibique glossar. lit. D. 10^{mo}, verba: pro te & per virilem sexum, aut lineam masculinam descendantibus, in feudo fœminino continent nepotes & neptes ex filiis; non verò nepotes, minùs neptes ex filiabus, consentit jam laud. Auth. C. 7. C. 37. n. 3. & seq. aut in masculino solum nepotes, neutiquam neptes ex filiis comprehendunt, quamvis contrarium velle mihi videatur, ROSENTH. loc. cit. cum multis aliis sequacibus. nec me movet argumentum, ex leg. 14. Cod. de legit. hæred. defumptum, ubi: omnes legitimas personas (id est, per virilem sexum descendentes)

sive masculini sive foeminini generis sint, simili modo ad jura legitima successione ab intestato vocari... nam quis patitur, ... ipsas (foeminas) propter hoc solum puniri, quod foeminae natae sint, & paterno vitio (foeminam Nasci paternum esse vitium, fuit stoicorum sententia, non tamen mea) prolem innocentem gravari. hoc, inquam, argumentum me non movet, & revera si illud efficax esset, totam hanc nostram everteret jurisprudentiam, sic enim foeminae per masculos descendentes semper & ubique in feudis succedere deberent. Imò, investitura: pro te & genere tuo, foeminas omnino repellit, licet etiam constaret, feudum esse emptitium, pretium feudo empto æquivalere, imò nullum servitium esse promissum, Joann. voet. in digres. de feud. n. 59. in f. Curt. de Successione feud. pag. 156. graves ad hoc allegans auctoritates. dissentiunt Gail. 2. obs. 159. n. 3. 4. & 5. ibique relatus NATTA cons. 159. n. 16. dicens, regulas feudales in feudo emptitio attendere volentem stultum videri; sed in quo ille vir nos judicat, in eo semetipsum condemnat, cum verissima sit juris feudalis regula, feudum, in uno impropriatum, in aliis, nominatim non impropriatis, retinere suam naturam incorruptam, CARD. de LUCA, dis. 11. n. 12. ROSENTHAL. Cap. 2. C. 54. & Cap. 7. C. 34.

IV. Incidenter hinc quæri posset: an, cum aliqui Interpretes juris feudalis investituram dubiam secundum curiæ feudalis usum interpretandam esse dicant, quidam verò ad jus feudale loci, in quo feudum situm est, respiciendum esse putent, an, inquam, curiæ an loci jura sequenda sint? R: in substrato dubio præprimis inspicienda esse jura illius loci, quæ in contractu fuere definita. Secundò jura loci contractûs celebrati, si de solemnitatibus quæstio est, puta: *an investitura legitime facta sit.* Tertiò jura loci feudi siti, si quæstio feudum tangat, nimirum: *an feudum sine consensu Domini alienari possit.* Quartò jura Curia Domini cæ, si quæstio personam tangit, videlicet: *intra quod tempus investituræ renovatio peti debeat.*

V. Di-

V. Dicebam in principio hujus capituli , feudum acquiri præscriptione , quâ in re celeberrimos video fluctuare jurisconsultos, alii triginta , alii quadraginta annorum præscriptionem , immemoriam alii exoptulant , ego arbitror , feudum cum titulo , bonâ fide , & 10. aut 20. annorum lapsu usucapi posse , 2. f. 87. *PICHLER in can. abbrev. part. 1. pag. 774. in med. idem tenet Joan voet. in digress. de feud. n. 23. in fin. sed casus, ab ipso propositus, mihi non placet. Conferatur etiam ROSENTH. C. 9. C. 85. n. 10. non obstant textus 2. f. 9. §. 1. vers. porro. 2. f. 40. & 2. f. 55. nec variaz gravium Doctorum sententiaz , utpote casum à casu non distinguentes. Secundò feudum longissimi temporis præscriptione acquiritur bonâ fide & titulo colorato suppositis. 2. f. 9. §. 1. in med. & DDres plerique. Imò tertio acquiritur sine titulo, spatio triginta annorum & bonâ fide concurrentibus , 2. f. 26. §. 4. & 2. f. 33. in pr. laud. *PICHLER loc. cit. adde ROSENTH. C. 6. C. 77. n. 8. in fin. & 9. cum glossis, sive investitura ab errante facta fuerit, cit. text. lib. 2. f. 26. §. 4. sive nulla intervenerit, 2. f. 33. in pr. præscriptio hæc in specie anomola seu extraordinaria dicitur, & toties locum sibi vindicat, quoties necessaria illius requisita concurrunt, ut puta, si imò quis fuerit usus : ubi enim nullus usus, aut nulla possessio, vel quasi, ibi quoque nulla præscriptio. 2dò si fuerit usus jure in re alienâ, aut jure in jure alieno : non ergò prodest usus rei alienæ corporalis, cum hæc sine titulo nunquam acquiratur : nam absque titulo animus Domini haberi nequit. Tertio si fuerit usus toto illo jure, quod voluit acquirere ; non autem prodest, si toto alterius jure est usus, ratio prioris, quia non plus præscriptum, quàm possessum, ratio posterioris, quia ibi titulus requiritur, inde fluit, quod tertius Dominium directum contra Dominum, aut utile contra vasallum hæc præscriptione acquirere non possit, imò vasallus Dominium superius contra seniore non acquirere valeat, rationem dant Doctores hanc, quod vasallus absque causâ, extrinsecus accedente, sibi non possit possessionem mutare,**

ROSENTH. C. 6. C. 82. ibique *infinitæ* *Glossæ* lit. A. & S. *Quar-*
tò si fuerit *usus non vi, non clam, non precario*, cujus ratio in apri-
 co est. *quintò* si fuerit *usus cum bonâ fide*: nam cum malâ fide præ-
 scriptio, novi saltem juris acquisitiva, in æternum non currit prop-
 ter *Cap. ult. x de præscript.* Cujus sententiæ etiam est ROSENTH.
Cap. 6. concl. 77. n. 9. multas habens GLOSSAS lit. H. & eam
 quoque tenet GAIL lib. 2. *obs.* 18. n. 7. ubi *num.* 8. Statutum, de-
 cidens contrarium, tanquam peccata nutriens & injustum repro-
 bat. Ex his quinque requisitis profluit scientia Domini præsump-
 ta, quæ, cum patientiâ illius conjuncta, est loco tituli. videatur
 HENR. de COCCEJ. *exercit. curios. de præscript. extraord. vel ano-*
mol. non tamen in omnibus probandus.

CAPUT SEXTUM

DE

RENOVATIONE INVESTITURÆ, LAUDE- MIO, JURE DOMINI ET VASALLI UBI DE SUBFEUDO.

I. **B**eneficium per præscriptionem acquisitum, per investituram
 esse non sufficit; sed quandoque investitura est renovanda, circa
 quod dico: ad *renovationem* investituræ intra legitimum tempus
 1. f. 22. & 2. f. 24. *in pr.* à die scientiæ. GAIL. 2. *obs.* 48. n. 8. sub
 poenâ caducitatis. 1. f. 22. *in pr.* non tamen *ipso jure* incurrendâ. 1. f.
 21. *in pr.* Domino vel vasallo mutato. 2. f. 24. *in pr.* Petendam te-
 netur *imò* vasallus respectivè vel ejus hæres. 1. f. 22. *in pr.* Et si
 hæres plures, omnes. 2. f. 26. *vers. omnes.* Modò sint puberes.
 2. f. 55. *in fin. pr.* Aut alia justa causa (qualis non est, quod vasal-
 lus sit Domino Major, quod sit Ecclesiâ, sit Clericus, rusticus,
 foemina, legatarius, cessionarius &c., de quibus sæpè laud. RO-
 SENTH. C. 6. C. 31. & *sqq.*) impedimento non fuerit, 1. f. 22.
in pr.

in pr. & 2. f. 52. in fin. 2dò tenetur simultaneè investitus non tantum vero feudi possessore deficiente, sed & Domino mutato, *imò*, hoc & illo superstitis, & isto mutato, istius filius vel successor, *Arg. 1. f. 22 in pr. in verbis: vel alterius &c.* Dissentit ROSENTH. C. 6. C. 49. n. 3. 3tò vasallus, qui partem feudi divisi, mediante separatâ investiturâ ab aliâ divulsam, acquisivit; non ergò is, cui mediante jure accrescendi (in casu formando cautus sis) altera pars obrigit. *Arg. ejusdem tit. & ROSENTH. C. 6. C. 33. ibique Gloss. lit. E.* Nec etiam ad eam petendam tenetur expectativarius, utpote quod implicaret. Unum adhuc videre restat, scilicet si vasallus, relictis ventre & filio nato, decesserit, an hic intra legitimum tempus renovationem petere teneatur? multi quidem sustinent, petitionem hanc suspendi, eo quod natus ignoret, pro quâ parte renovare debeat; verùm enimverò cum certum sit, natum in omnem eventum suam consequi portionem, hinc juris communis vestigia sequendo, eidem, ut pro quartâ feudi divisibilis parte. tribus ventri in suspenso relictis, investituram renovaret, consulerem cum *Laud. Auth. Cap. 6. concl. 34.*

II. Laudemium, indubiè feudali jure primitus incognitum, & à JUSTINIANO in *Leg. ult. in fin. Cod. de jure Emphyt.* Præscriptum, quoad feuda saltem plebeja moribus feudalibus recentioribus reperio adoptatum ex JOAN. VOET. *in digress. de feud. n. 106.* Hi usus & mores tamen de casu ad casum, loco ad locum, personâ ad personam non sunt extendendi. *Card. de Lucâ de feud. dis. 59. n. 11. & ROSENTH. C. 6. C. 66. n. 6.* Quæris: quid ergò in moderno feudali foro circa laudemia obtinet? Respondeo, investiturarum tenores & consuetudines locorum quæstionem: *an: quando: quantum* laudemium solvi debeat? tibi resolvent; si autem ex iis non constet, *an* laudemium solvi debeat, nihil deberur, *DDres passim*, si non constet, *quando* illud vel *quantum* præstandum, recurre ad *Leg. fin. Cod. de jure Emphyt.* Et hæc quæstionem determinabit. Nec dicas in foro feudali decisiones ex jure civili non esse petendas: nam hoc fallit, si quæstio in jure feudali non sit defini-

ta,

ta, aut ex ejus analogia decidi non possit : tunc enim quilibet bonus iudex absque calumniâ uti poterit lege scriptâ, ut ipse *OBERTUS* filio suo tradidit in *lib. 2. f. tit. 1.*

III. Factâ vel renovatâ investiturâ, præstito que pro re natâ laudemio, videndum, quænam jura Domino, quænam vasallo competant. ad quæ breviter dico : jus Domini est *Dominium directum*, seu *proprietas superior* 2. f. 8. §. *fin.* cujus effectus sunt possessio civilis, jus consolidandi, jurisdictio feudalis, jus servitiorum militarium, judicialium & aulicorum &c. &c. de quibus varii extant juris textus. ubi bene notandum, quod vasallus assistere non debeat Domino, guerram *notoriè* injustam facienti, *Arg. 2. f. 7. in med. & DDres communiter.* neque contra habentem summum imperium, 2. f. 7. *in pr. & 55. in fin.* neque contra Dominum antiquiorem 2. f. 28. *in fin.* neque (multis impiè dissentientibus) contra patrem, nisi contra patriam quidquam molientem, de quo intelligo 2. f. 28. *in fin.* neque contra semetipsum *ROSENTH. C. 8. C. 15. in pr.* ergò neque contra uxorem suam *Idem cit. Cap. C. 14. in fin.* quamvis *ibid. lit. K. relati* dissentiant, ignorantibus fortè, conjugem cum conjugee unam constituere carnem, aut uxorem mariti partem seu costam esse.

IV. Jus vasalli stat in *utili Dominio* seu proprietate inferiore, 2. f. 8. *vers. rei autem.* (illud etiam quandoque, quamvis impropiè, *ususfructus* appellatur, ut vides 2. f. 23. *in fin.* dico : *impropiè* : si enim propriè ususfructus esset, ut quidam volunt, sequeretur præter alia inconvenientia, quod vasallus nequidem cum consensu Domini, & vicissim, feudo servitutem imponere, minus illud oppignorare, donare, vendere &c. possit juxta *leg. 15. in fin. ff. de usufruct.*) Domini hujus inferioris effectus sunt jus possessionis tam naturalis quàm civilis *Arg. 2. f. 8. §. 2. ROSENTH. C. 8. C. 1.* quod intelligenti materiam *de acquirend vel amitt. possess.* liquet. 2dò jus alienandi & oppignorandi, 2. f. 48. 3tò jus transactionis de feudo litigioso citra Domini & agnatorum consensum 2. f. 26. *vers. si vasallus de &c. 4tò actionis rei vindicatoriæ contra tertium cum*

cum Domini exclusione , 2. f. 8. *in pr. vers. rei autem* 5to subfeu-
dum constituendi, 2. f. 3. §. 1. & 2. f. 26. *vers. beneficium.*

V. Subinfeudatio autem non nocet agnatis *Arg. 1. f. 8. §. 1. & 2. f. 26. vers. titius filios. & 2. f. 39. neque obest Domino, ex sententiâ saltem de jure mihi probabilissima 1. f. 4. §. fin. 1. f. 5. vers. rursus. 1. f. 13. vers. etsi. 1. f. 18. vers. si aliquis. 2. f. 34. §. 2. in fin. SAMUEL STRYCK. in ex. feud. cap. 19. q. 31. & plurimi alii.* idque non sine ratione : ex quo enim obligationis fonte Senior subvafallo tenere-
tur ? & hanc sententiam ceu veriolem etiam de praxi sustineo , tam diu insulfam judicans objectionem textûs 2. f. 9. *in pr.* donec in eo se fundantes plerique practici docuerint , hunc textum quasi jure postliminii moribus hodiernis esse restitutum , quod hucusque à quodam prætitum esse non inveno , nec me mover , quod quidam objiciant , sæpiùs feuda Imperii Regalia , principatus , Ducatus &c. esse caducata , & tamen valvafores feuda , à Capitaneis caducita-
tem passis impetrata , sibi retinuisse : Rspdeo enim : annon hoc ex gratiâ & clementiâ Imperatoris potuerit esse factum ? aut an certi sint , feuda illa non fuisse in *quinto gradu* aut *merè hæreditaria* : non fuisse *subinfeudari solita* : non fuisse cum *Imperatoris consensu* in subfeuda constituta , aut Imperatorem non fuisse subinfeudantis *hæredem allodiale* ? plura in STRYCK. *cit. Cap. 19. q. 31. & pas- sim.* Subinfeudatio , contra prohibitionem investituræ facta , quidem non tenet ; at contra prohibitam in litteris investituræ alienationem celebrata subsistit , *Arg. 2. f. 3. §. 1. Glossæ in lit. g. apud ROSENTH. C. 9. C. 46. nisi facta fuerit in fraudem legis Lotharii vel Friderici Imperatoris. cit. §. 1. contradicunt CARD. de LUCA in theat. verit. & just. tract. de feud. dis. 1. n. 24. ROSENTH. cit. Cap. 9. Concl. 46. verùm horum rationes penes me tantum falis non habent , ut mihi sapiant , & me in istam sententiam trahant.*

D

CAPUT

CAPUT SEPTIMUM

D E

CONTRACTIBUS, REVOCATIONIBUS, ET
DEBITIS FEUDALIBUS.

I. **D**E Domini contractibus circa feudum sustineo illum, inspecto juris rigore, non posse Dominium directum, inuito vasallo, alienare, puta vel oppignorando, vel donando, vel vendendo, vel investituram aut cambium faciendo &c. 1. f. 22. *vers. siquis.* & 2. f. 55. §. 1. *in fin.* & 34. §. 1.

II. Circa vasalli contractus hanc do regulam : sine prævio Domini consensu vasallo omnis super feudo dispositio, 1. f. 8. *in pr.* omnisque ejus alienatio est prohibita, 2. f. 52. *in pr.* & 55. *in pr.* (quod & firmatur in patriæ meæ *statut. pag. 70. art. 3. in fin.* ubi tamen consensus à Domino raro denegatur, nec agnatorum consensus requiritur, ut docet *Joan. voet. in digress. de feud. n. 95. in pr. ex FRID. à SANDE de feud. geld. tract. 2. tit. 2. Cap. 1. n. 7. & sqq.*) hinc vasallus in casu alienationis, scienter factæ, 2. f. 42. *in fin.* & effectum sortitæ, jure suo excidit, 2. f. 24. *in fin.* & 52. §. 1. nec eum excusat clausula : *Salvo jure*, aut *salvo honore Domini* : est enim factio contraria, ROSENTH. C. 9. C. 61. n. 7. & 8. nec excusat causa alimentorum, nec dotis datio 2. f. 9. §. 1. *in pr.* quod tamen plerique limitant, sustinentes, in subsidium cessantibus nempe bonis allodialibus feudum in dotem dari posse, sed rectè refutantur à *CARD. de LUCA de feud. dis. 20. n. 4. & ROSENTH. C. 9. C. 8.* nec excusat dispositio ad pias causas, 2. f. 55. *in pr.* nec casus extremæ necessitatis, 2. f. 73. *in med.* quamvis tamen, præsertim hoc ultimo casu, Dominus consentum suum sine justâ causâ militi denegare non debeat, *DDrcs passim.* æquum enim non est, aliquem videre egentem, quem prius habuit in
ami-

amicum, *lib. 2. f. tit. 58. in fin. pr.* nec denique excusat vasallum, feudum in *primo, secundo, vel tertio* gradu hereditarium, aut ex juris dispositione esse, ut patet consideranti. Intricata superest quaestio, utrum Dominus illicitam feudi alienationem vel dispositionem, securâ traditione vel apprehensione, post mortem vasalli ratificare possit? Rspdeco: multi hâc super quaestione insudârunt, & non inveni quendam satisfacientem, ego dicendum arbitror, Dominum id in feudo *novo ex providentiâ juris* facere posse; in *novo exprovidentiâ majorum* id facere non posse, minùs in feudo *antiquo*, ratio mea est, quia Dominus in isto nemini, nisi sibi, in illo verò filiis vasalli, in hoc filiis, si ex *pacto majorum*, agnatis, si ex *legis dispositione* fuerit, aut filii non extiterint, ratificando præjudicaret. ratio rationis, quia in feudo *novo ex providentiâ juris* Domino, in feudo *ex providentiâ majorum novo* æquè ac *antiquo* vasalli filiis, & in *antiquo ex provisione juris*, aut etiam, filiis non supersticibus, ex *pacto majorum* tali agnatis in substrato casu à vasalli alienantis morte statim jus per de-aut revolutionem quaesitum fuerat, prout *Cap. seq.* latiùs. ROSENTH. C. 7. C. 4. idem etiam quidem velle videtur; sed si conferatur ejusdem *Caput 9. Concl. 65. per tot.* aliud, saltem in quibusdam, apparebit.

III. Sub nomine vetitæ alienationis hîc venit donatio, venditio, permutatio, oppignoratio, & qualiscunque similis distractio, de quibus vid. *2. f. 55. in pr.* & laud. *Auth. Cap. 9 C. 6. & sqq.* non autem elocatio ad longum tempus, neque in perpetuum facta, *2. f. 9. §. 1. in pr.* repugnante quoad utrumque ROSENTH. C. 9. C. 7. n. 8. *ad fin.* nec etiam divisio inter cohæredes, *Gail. lib. 2. obs. 153. n. 8.* suppositâ scilicet feudi divisibilitate, de quâ etiam tractat *laud. Auth. loc. cit.* nec denique refutatio beneficii Domino, etiam reclamanti, aut proximiori agnato facta, *2. f. 38. in fin.* ubi tamen vasallus sciat, se quidem ad serviendum non teneri post refutationem, Dominum autem offendere non debere, *cit. text.* cùm adhuc maneant juris Dominici reliquiæ. Quaestionem alias agitaram memini, an feudum posset in unionem prolium transferri?

quidam affirmabant casu, quo uniens esset ultimus de familiâ, utpote cum sic feudum alienari posset, egregia enim verò hæcerat affirmatio! aut fortè putabant, unionem posse stare cum uno extremo? nunc de revocationibus.

III. Feudi cum solius Domini consensu facta alienatio (quæ pretii promissione perficitur) agnatis & simultaneè investitis generat jus illud revocandi vel jure προσησσεας vel retractus 2. f. 3. §. 1. & 2. f. 26. vers. titius filios, ubi statuo, quod alienatio, semel perfecta, & ex post mutuo dissensu sublata, non enervet jus protimileos, nec semel consummata jus retractus, ex quo fluit, revocantem ad supplementum pretii, postmodum abemptore oblato, nullatenus teneri. Exercitio horum jurium gaudet omnis, habens jus in feudo (qualecunque fuerit) hinc imò filius ROSENTH. Cap. 9. Concl. 82. n. ult. 2dò agnatus, licet remotior, propinquiore non agente, 2. f. 26. vers. titius filios. in verbis: filios proprios. laud. Auth. loc. cit. n. 7. ad fin. 3tò agnatus simultaneève investitus cum Domini concurrentis exclusione, 2. f. §. 1. in med. 4tò etiam Dominus. cit. §. 1. v. porró. in quo tamen horum jurium exercitium est rara avis, saltem post tempora Constitutionum Lotharii & Friderici Imp. nisi de moribus paucorum locorum loqui velis. Dicebam: qualecunque fuerit, ubi dubitari posset, num exercitium illorum jurium filio etiam competat in feudo novo? affirmativam tuetur ROSENTH. Cap. 9. memb. 2. Concl. 88. in fin. cujus sententia tanquam improbabilis rejicitur à CARD. de LUCA. de feud. dis. 37. n. 3. & multis aliis, ego, si audeam sensum meum hæc super controversiâ aperire, neutram simpliciter probo, sed distinguo, utrum feudum licitè, an illicitè alienatum fuerit & primo casu negativam, secundo affirmativam amplector ex ratione hac quod illo, non hoc casu jus, filio ex investitura competens, extinctum sit, idem quoad agnatos in feudo, per pactum antiquo, defendere conabor.

V. Competit & jus revocandi feudum, etiam hæreditarium, jure delatæ successionis imò filio, non hæredi patris, 2dò agnato, in

in alienationem non consentienti, neque hæredi alienatoris alodiali, 3tio simultaneè investito, & quidem mortuo regulariter alienante, etiam nullo neque oblato, neque refuso pretio, 2. f. 26. *vers. titius filios* & DDres communiter verùm ad quem debita?

VI. Debita, feudo *ex providentiâ Domini* ex hujus solius consensu imposita, ipsemet solus in casum feudi aperiendi; non autem agnatus, & nequidem descendens exsolvere tenetur, *Gail. lib. 2. obs. 154. per tot*; è contrâ solorum agnatorum consensu imposita ipsi soli in casum devolutionis portant; at verò & Domini & agnatorum consensu creata, hi in casum de-vel revolutionis, ille in casum aperturæ ferunt. . . in feudo *ex provisione legis* autem ultimi possessoris filius omnia, etiam sine ejus consensu constata, debita solvere tenetur. quoad rem laud. *Gail. loc. cit.* nec refert, utrum feudum in *omni*, utrum in *nullo gradu* hæreditarium fuerit.

CAPUT OCTAVUM

D E

AMMISSIONIBUS FEUDORUM, ACTIONIBUS & JUDICIO FEUDALIBUS.

Quia generationem excipere solet corruptio, hinc, excussis feudorum constitutionibus & effectibus, nunc causas, propter quas feuda amittuntur, discutiam. feudum verò amittitur vel *per delictum*, vel *citra*, *citra delictum* amittitur aut *ex parte rei*, ut si intereat, aut *ex parte vasalli*, ut si decedat sine hærede, ad feudum qualificato, 2. f. 11. *in med.* si illud *omninò* refutet, 2. f. 49. vel si feudi retinendi incapax evadat, ut Ecce si mutus, surdus, cæcus, claudus, vel aliter imperfectus fiat, 1. f. 6. §. 2. & 2. f. 36. *in med.* aut clericum religiosumve induat, 2. f. 21. & 26. §. 4. *in pr. vers. qui*, idque non sinè ratione: nunquid enim feuda dantur ob

D 3

fervi-

servitia ? 2. f. 23. *in fin.* meritò itaque feudo exiuitur imperfectus, cum is illud servire non valeat, 2. f. 36. *in med.* nunquid add scriptum est in divinis eloquiis : *miles Christi serviat Christo, milites sæculi sæculo ?* 2. f. ult. ideoque non immeritò clericus repellitur. *CARD. de LUCA, tract. de feud. dis. 17. n. 2. & dis. 54. n. 5.* ubi *num. seq.* limitationes addit. In feudo *franco* quidam id etiam limitant, sed forte non considerantes, vasallum & in illo ad defensionem Domino teneri, quare mihi probabilior videtur contraria, quam & puto sustineri à *ROSENTH. C. 7. C. 28. n. 2. & 22.* quin tamen supradicti omnes, volente Domino, feudum retinere possint, præstitis per vicarios, aut planè remissis servitiis, nullus dubito, cum *JOANNE VOET, in dig. de feud. n. 21.* de eo intelligens sententiam *OBERTI & GERARDI in lib. 2. f. 36. in pr.* huc etiam facit *textus, 2. f. 40. §. ult.* & hoc in casu, quo feudum ad Dominum reversurum esset, procedere Doctores omnes testantur, sed an casu, quo alii agnati adsunt, Dominus imperfectis hanc gratiam facere possit, multi inficiantur ex eo, quod ita Dominus agnatis proximioribus præjudicaret, vid. *relati in glossis apud ROSENTHAL. C. 7. C. 28. à num. 3. ad 9.* ubi & ipse eandem sententiam tuetur; verùm ea, ritè examinata, mihi placere nequit, cum supradicti à feudo, *quia ipsum servire non valent*, ut ait *textus*, & sic in favorem Domini repellantur; quemlibet autem favori, pro se introducto, renuntiare posse, extra aleæ iactum est, nec quidquam præjudicii per hoc agnatis infertur, cum non fiat gratia alicui, qui in litteris investituræ non erat comprehensus. Fateor equidem, in iis, qui clerici efficiuntur, hanc sententiam majoris esse difficultatis, cum in *lib. 2. f. 26.* sit hic versiculus : *qui clericus efficitur, HOC IPSO feudum amittit.* inferunt : ergò *ipso jure* proximioribus jus quæritur per assumptum clericatum, quod Dominus per gratiam iis non potest auferre, *laud. ROSENTH. C. 7. C. 30. n. 14.* & multi alii, sed argumentum tanti ponderis non est, ut me moveat. Clerici autem, qui ex gratiâ non fuere rejeçti, aut etiam ad feuda nondum habita admissi, sciant sciant

cessare privilegium fori, aliàs iis concessum, *GAIL. i. obj. 37. n. 3.* Nam in causis feudi, ipsùmque feudum concernentibus, etiam clericos & Ecclesias subjacere foro Regis tanquam Domini directi, tradit. *CARD. de LUCA. tract. de feud. dis. 34. n. 2.* Dicens, sententiam esse apud feudistas ac etiam Ecclesiasticos theoreticè & practicè receptissimam.

II. Sed dubium hic occurrit, ad quos feuda devolvantur, si inhabiles facti, gratiam non consecuti, iis exuantur? Respondeo: vel adsunt feudales successores vel non adsunt? si hoc, tunc feudum ad Dominum redire, inficias euntem non inveni; si illud, tunc feudum antiquum ad filios devolvi, & iis non extantibus ad agnatos revolvi, indubitato concludo cum *ROSENTH. C. 7. C. 29. n. 13. & sqq.* Ubi multa remissivè. Idem quoad filios in novo, quoad agnatos in per pactum antiquo esse arbitror, cum per hoc, quod vasallus sit factus inhabilis, pactum investituræ non infringatur, & hinc illis jus salvum maneat. Præterea etiam iniquum foret, doctrinam, quæ propter infortunatum aut laudabile superveniens impedimentum parentem contra jus commune privat, ad filios extendere. *Idem Loc. cit.* Sed quid? si vasallus monachum induit, an tunc monasterium non succedit? Respondeo illud, utpote in investituræ litteris non comprehensum, neutiquam succedit, *CURT. in tract. de success. feud. pag. 174. in pr.* Imò, durante hujus monachi vitâ, feudum penes se retinere non potest. *ROSENTH. C. 7. C. 29. n. 11.* hæc de feudis *citra delictum* amissis, & quorsum devolvantur.

III. Per delictum, *felonia* dictum, beneficium etiam amitti dixi; paratur autem illud vel in *Dominium*, vel in *extraneum*; in Dominum patrat, illum graviter injuriando; impias illi manus inferendo; mortem causando; veneno, vel gladio, vel aliter insidando; servitium facere recusando; administrationem justitiæ denegando; illum in acie periclitantem deserendo; de imminente assaltu, morte, captione, aut patrimonii grande jacturâ non certiorando; illa non avertendo; captum seu inclusum non liberando;

arcana

arcana revelando ; illum criminis accusando , testimonium saltem in causâ criminali contra eum reddendo ; feudum ejusve conditionem scienter inficiando ; illud notabiliter deteriorando ; inconsulto seniore alienando ; item Dominum cucurbitando , id est , cum uxore ejus concumbendo , aut concumbere se exercendo , aut cum eâ turpiter ludendo vel cum Domini filiâ , nuru , nepte ex filio , aut illius forore in domo Domini manente & adhuc in capillis existente (mulieribus hisce quamvis volentibus & turpia petentibus) sese turpiter commiscendo , &c. &c. &c. Delictum , quod committitur in *extraneum* , seu dique privationem inducit , est v. g. si miles fratrem suum , aut fratris filium interfecerit , vel aliud grave crimen , quod parricidii appellatione continetur , commiserit ; si convasallum prodiderit ; si crimen læsæ Majestatis parârît. De his & aliis sexcentis causis videantur. *textus* 1. f. 5. 17. 21. & 2. f. 23. 24. 26. 28. 37. 55. &c. & latissimè ROSENTH. *tot. Cap. 10.* In plerisque consentiens ; omnes autem causas non esse expressas eò certius est , quò verius , quod natura semper novas edere formas deproperet , ideóque judex discretus sollicitè perponderet , si qua causa fuerit expressis similis vel major , uti OBERT. *de ORTO ad ANSELMUM FILIUM SUUM Lib. 2. f. 24. §. 2. vers. sed quia.*

IV. Quæris , ad quem feudum , per culpam commissum , devolvatur ? animo haud titubante respondeo : feudum *antiquum ex pacto & providentia Domini* tale , feloniam in *Dominum* commissam , & quinque testibus manifestè probatam , 2. f. 57. Quamdiu delinquens vivit , ad *Dominum* pertinet , ut hanc saltem habeat suæ injuriæ ultionem ; at post delinquentis mortem ad in successione proximos (sive descendentes sive agnati fuerint) devolvitur ; feloniam autem in *extraneum* commissam , ad descendentes aut in successione proximos statim devolvitur , aliud est in *antiquo ex providentia juris* : nam hoc nunquam ad descendentes ; benè verò ad agnatos sub jam datâ commissæ feloniam distinctione revolvitur. Sic pariter *novum ex pacto majorum* ad filios vel statim vel post mortem committentis

mittentis, prout nimirum crimen patratum, transit; novum autem ex *juris providentia* ad filios neutiquam descendit. In novo de agnatis frustra quæris. Has conclusiones, multis licet differentibus, defendo ex textibus. *Libri 2. f. 24. §. ult. 2. f. 26. §. 3. & vers. si vasallus culpam. 2. f. 31. & 2. f. 37. & 98.* addo *GAIL. Lib. 2. obs. 50. n. 11.* conferatur quoque *ROSENTH. tot. Cap. 11.* In plerisque consentiens. Hæc de privatione feudi intuitu vasalli, sed quid de Domino?

V. Respondeo: quidquid servetur usu, de jure certus sum, Dominum, committentem feloniam, quâ vasallus beneficio exueretur, si eam committeret, directo privari Dominio per textus expressos in *Lib. 2. f. tit. 26. inf. vers. Domino & 2. f. 47. JOAN. VOET. in digress. de feud. n. 120.* Et plures, Nunc ad alterum hujus capituli membrum.

VI. Superest, ut, antequam ad judicium procedamus, summâ circumspiciamus cautelâ, quo genere actionis experiendum sit, ubi breviter dico: promissio feudi, & acceptatio, imò etiam ejusdem constitutio generant *actiones personales*, negotio celebrato proportionatas, de quibus passim. 2dò acquisitio realis, intellige investiturâ mediante facta, *respectu vasalli* operatur *utilem* rei vindicationem, publicianam, confessoriam, negatoriam, & quoque interdicta possessoria. *Arg. 2. f. 8. vers. rei autem.* 3tiò successorii competit petitiõ hæreditatis non solum respectu feudi, per successorem delati, *merè & absoluti hæreditarii*, verum etiam *unius duntaxat gradûs* hæreditarii qualitate intincti, modò non sit ex pacto & *providentia majorum*, imò & nullo in gradu hæreditarii, dummodò simpliciter ex *provisione juris* fuerit, & quæstio de *descendentibus* instituatur, *Collaterales* enim illam actionem intentare nequeunt, sive beneficium fuerit *ex pacto Majorum*, sive *ex juris dispositione*, sive in primo, sive in secundo, sive in tertio, sive in quinto gradu hæreditarium, utpote quorum intuitu illud cum ultimi possessoris hæreditate allodiali partem non constituit, ut colligitur. *Arg. 2. f. 45. & 51. §. 4.* Aliter fortè dicam, etiam quoad

E

agnatos,


agnatos, si feudum hæreditariam *quarti gradus* qualitatem haberet impressam. Senior ratione *Dominii utilis* directam habet rei vindicationem non tantum contra tertium, verum etiam quandoque contra ipsum vassallum, feudo scilicet per feloniam commisso, & ratione *civilis possessionis* suæ remedia possessoria.

VII. Instructi, quo actionis genere agendum, procedimus ad iudicium, in Curia Dominicâ præparandum, ubi cautè actor inquirat, num causa, in iudicium deducenda, *feudalis* sit: ceteroquin enim forum non est fundatum. quæret itaque aliquis meritò, quæ in causæ feudales sint? Respondeo: causæ feudales sunt, in quibus agitur de feudo constituto, aut ab eius naturâ dependentibus, puta: successione, possessione, oppignoratione, distractione, fidelitatis juramento, investiturâ faciendâ vel renovandâ, feudalibus servitiis, aut aliâ ejus pro- vel impropriate; observa tamen ad causam feudalem non spectare qualitatis feudalis negationem 2. f. 15. *Gail. 2. obs. 156. n. 2.* Constito de qualitate causæ feudalis, actor faciat citari reum ad Curiam, & si hic non venerit, iterum ac tertio vocari debet, & quidem intra spatium septem vel decem dierum, arbitrio ejusdem Curia determinandum, quod si neque venerit ad tertiam vocationem, hoc ipso feudum amittit, & sic Curia debet Dominum mittere in possessionem, si verò vassallus intra annum venerit, & Curia se stiterit, restituenda est ei possessio, quod latius 2. f. 22. *in pr.* Sic vicissim fidelis de seniore, malo ordine (vi) feudum intrante, & illi non vel perperam respondente, in Curia conqueri potest, quo facto Curia debet adire Dominum, eumque salvâ reverentiâ competenter cogere, ut vel possessionem fidei suo restituat, & acquiescat, vel iudicio Curia se committat, quod si senior, *ter* admonitus, facere distulerit, licet vassallo, ad aliam majorem potestatem ire, sibi que consulere, & si justitiam obtinere non possit, poterit illum deprædari, 2. f. 22. *in fin.* Etiam militari manu *GOTHOF. ibid. in not. lit. m. ROSENTH. Cap 10. C. 26. n. 48.* Testes in hoc iudicio quoad probandas investituræ solennita-

nitates sunt pares Curiaë, modò Dominus pares habeat. 2. f. 33. *in pr.* idcirco pares, ne, aliis testibus inductis, & pecuniâ fortè vel gratiâ vel odio corruptis, quid falsitatis in perniciem Domini excogitetur, quæ in paribus non sunt suspicanda, 2. f. 58. §. 2. *v. idcirco.* Actore in probatione deficiente, reus non statim absolvendus; sed debet jurare cum duodecim *Sacramentalibus*, de quo varii textus extant, nec inter se convenientes: alii enim possidenti, alii petenti, alii indistinctè Domino, vasallo alii Sacramentum injungunt, ego putarem certâ regulâ definiri non posse, cui illud deferendum, & hinc secundum quod judici melius visum fuerit, aut possidenti, aut petenti, aut neutri dandum erit, ut omnium optimè decedit textus 2. f. 33. *in pr. vers. Sacramentum.* dicebam: *judici*; verùm quis est in causis feudalibus judex? Respondeo: si inter *duos vasallos* de feudo sit controversia, solus Dominus est judex; si verò inter *Dominum & vasallum* lis oriatur, pares Curiaë quæ judices Causam determinant, ita Imperator decedit in lib. 2. f. 55. *in fin. verb. præterea.* sed quid si Dominus & vasallus in eligendis paribus dissentiant? dico, prævalere eorum sententiam, qui sustinent, Dominum debere priùs eligere quen - aut quosdam, & dein vasallum etiam tot, quot Dominus, ut hi simul de totâ re cognoscant. vid. 2. f. 16. *in pr. & GOTHOF. ibid. lit. b. & sqq.* ille vasallus tamen, qui Domino nondum juravit fidelitatem, alterâ parte dissentiente pro pari neutriquam eligi debet, *cit. tit. in fin.*

VIII. Ad calcem observo, difficillimam esse quæstionem: quis in casu, ubi inter duos de feudo controversia est, & horum uterque feudum suum esse contendit, judex sit constituendus? Doctores & Interpretes varii variè hinc sentiunt, imò textus ipsimet non conspirant, alii Dominum, alii pares, alii judicem superiorem, arbitrum alii hujus causæ decisione onerant, quid? quod alii definiunt, Dominum cuidam contendentium gratiam facere posse, scilicet titium agnoscendo, rejiciendo sempronium. Ego ex

his nullam simpliciter meam facio ; non primam , quia causa Dominum simul tangit , cum uni teneatur ad evictionem , 2. f. 46. jam autem nullus in propria causa iudex. non secundam quia lis est inter convassallos , ibi autem iudices non sunt pares curtis, *Arg. 2. f. 55. in fin.* non tertiam , quia causa verè feudalis est , nec quis se vasallum negat , nec Dominus protrahit aut denegat iusticiam , nec vasalli diversæ sunt curiæ , nec aliam invenio rationabilem causam , cur ad majorem potestatem provocetur , non quartam , quia de feudo arbitrum constituere est species alienationis , seu saltem per compromissum ad eam via sternitur , *GOTHOF. in not. ad text. 2. f. 24. lit. L.* non ultimam , quia omni ratione destituitur. Quanam igitur verior sententia ? Rspdeco , Dominum cum suæ curiæ paribus in substrato casu cognitionem habere , nec hoc affirmare erubescio : loquor enim non sine lege , vid. 2. f. 15. *in fin.* rationem addens hanc : quæstio est inter duos convassallos : ergò Dominus , quæstio simul est hunc inter & illos : ergò simul pares curiæ istam determinare debebunt. *Arg. 2. f. 55. vers. præterea.* Hæc , quoad plurimam partem (plagium committere nolo) ex *SYNOPSIS DISCURSUUM FEUDALIUUM* , anno 1729 , hîc Colonia editâ , & quotannis prælegi solitâ , excerpta , mihi pro crisi sufficiunt , cum illâ , quacum incepi , finio.








Kr 2209

X2368165





DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
UNIVERSO JURE FEUDALI,

In Almâ & Perantiquâ Univerfitate
Coloniensi

PRÆSIDIBUS

*Praenobilibus, Clarissimis, Consultissimisque
Viris ac Dominis*

D. FRANC. GABRIELE HAMM,

J. U. D. Professore Publico & Ordinario, ac Venerandæ
Facultatis Juridicæ Dictatore,

NEC NON

D. JOANNE PETRO WIRTZ,

J. U. D. Professore Publico & Ordinario, ejusdémque
Facultatis Fisco,

PRO

*Summo in utroque Jure Gradu
& Honoribus Doctoralibus ritè obtinendis.*

IN

Publico Juris Auditorio Eruditorum crisi submissa.

à

JOANNE MICHAËLE LUCAS

Erclinio,

Anno MDCCLVI. Die IX. Mensis Septembris.

Coloniæ Typis GEREONIS ARNOLDI SCHAUBERG,
Venerandæ utriusque Juris Facult. Typographi.

